

CHRONICA PARVA

E Prov. Romana. — *R. P. Iosephus Iacobus Salza a magistratu civili numismate aureo insignitus* est d. 5 Iun. 1938 Augustae Taurinorum (est enim Subalpinus origine), ac recepit propter praeclara erga patriam merita *diploma di benemerenza*, quod vocatur, acceptis iam ante in magno bello tribus numismatibus argenteis et quarto insigni huiusmodi in bello Aethiopico. Fuerat autem in priore bello cappellanus militum « audacium » (*Arditi*), et licet in brachio sinistro mutilatus, ad suos redire voluerat. Postea totum fere mundum peragravit, ut causae religionis et patriae inter Italos extra Italiae fines viventes serviret, de quibus itineribus pluries in hoc Commentario fuit sermo, velut XIII (1934), 129 sq.¹

E Provincia Hollandica. — *De exercitiis spir. clausis.* — Iuxta inquisitiones a nobis factas superiore anno 40 349 laici saeculares in patria nostra exercitiis spiritualibus in domibus huic fini erectis vacarunt; scilicet:

- 20 755 in domibus exercitiorum nostris
- 11 517 in domibus exercitiorum Patrum S. I.
- 2 459 in domo Sororum Congregationis a S. Spir.
- 1 950 in domo Sororum B. M. V. a Coenaculo
- 1 552 in domo dioeciesana Ruraemundensi
- 1 300 in domo Sororum ab Adoratione Perpetua
- 816 in domo dioeciesana Harlemensi

Schema hoc luculentum conspectum praebet de florentissimo ministerio exercitiorum in Hollandia. Habentur nempe 13 domus exercitiorum spiritualium, quarum 5 ad nostros², 3 ad Patres Iesuitas pertinent; 5 aliae domus pertinent sive ad Ordinariatus sive ad Congregationes Sororum, in iisque exercitiorum cursus a Patribus diversorum Ordinum Religiosorum diriguntur, prout a Moderatoribus earum domuum ad hoc invitari solent. Sic v. g. nostri saepius Ruraemundae vel Rotterodami (in domo Harlemensi) vel Tilburgi (apud Sorores e Coenaculo) exercitia praedicant. Christifideles illi numero 40 349, qui a. 1937 exercitiis interfuerunt, maiorem partem viris constant. Nam, dum domus dioeciesanae necnon domus Sororum nonnisi mulieribus destinatae sunt, domus Soc. Iesu unice

¹ Cfr. *Il Santissimo Redentore* XVI (1938), 130.

² Cfr. *Analecta* X (1931), 291-296.